



SAN JUAN DIEGO
24 OTTOBRE 2001

DE CARNIFICE, VICTIMA... ET SACERDOTE

Epistula Conchiglia

Prot. 08.153 - 03.09.08

Cari fratres et sorores,
haec Verba primo solacium afferent
postea autem infundent vim necessariam ut excitemini ad Divinam Voluntatem perficiendam, quae
impressa est in omni corde.

QUID EST COR?

EST PARS MUSCULOSA ET VITALIS CORPORI HOMINIS,
SED COR EST ETIAM SEDES AMORIS, EST SEDES AFFECTUUM ET OMNIA HAEC
CONIUNCTA SUNT CUM CEREBRO.

QUID EST CEREBRUM?

EST SEDES RATIONIS, EST COMPUTATOR NATURALIS HUMANE PERFECTUS, AD
RECTE AGENDAM MACHINAM STUPENDAM QUAE EST CORPUS HOMINIS, A DEO
CREATI AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM EIUS.

« COR » EST CORPORI SICUT « ANIMI AFFECTUS-SENTIMENTUM » EST ANIMAE.

Cor est centrum vitae, quoniam cum cor desinit palpitare, homo moritur et spiritum Deo reddit atque
Anima, quae Aeterna est, vadit aut in Paradisum, aut in Purgatorium aut ad Infernum.

Redeamus autem ad cor, quoniam multi sunt increduli qui non putant cor esse sedem amoris.
Sed si quid addo magis attendetis.

Cor est centrum vitae, quoniam cum cor desinit palpitare homo moritur et spiritum Deo reddit.
Iesus et Maria legunt in ima profunditate cordis vestri, legunt in subliminio vestro. Quid est
subliminium? Est pars vestri quam nescitis. Vos estis conscii et inconscii. Nescitis omnia vestri,
contracti estis propter Peccatum Originale. Subliminium est pars abscondita vestri « ego », ubi omnes
affectus et sensus vestri positi sunt et latuerunt.

Quicumque dolet, dolet ab eo quod sibi fit et factum est. Memoria conscienter potest recordari facta,
sive mala sive bona, solum ex parte; cum autem memoria subliminalis... novit et recordatur omnia.

Subliminium vestrum nihil aliud est quam pars abscondita intus in vestro « ego », quasi sit puteus
profundus in duas partes divisus: pars superior putei est omne quod recordamini, pars autem inferior
putei est omne quod non recordamini, quod autem ipsi estis, quoniam est pars vestri.

In subliminio sunt reliquiae memoriarum omnis mali generis, actionum factarum vel acceptarum quas arcere vultis: iniuriae, vexationes, proditiones, desertiones, violentiae corporales, violentiae psychologicae, actiones malae et multae aliae res iniquae.

Cur « actionum factarum vel acceptarum »? Quoniam qui sine peccato est primus lapidem mittat.

Subliminium est pars abscondens se a conscientia hominis.

Cur Iesus et Maria habent Cor Immaculatum?

Quoniam Eorum subliminia sunt limpida, munda. Numquam actiones fecerunt contra Dei Voluntatem. Numquam polluti sunt propter peccata cuiuslibet generis. ITA, CORDA EORUM SUNT IMMACULATA.

Corde autem nostra, sunt corda quae possunt esse pura, non autem Immaculata, quoniam immaculatio originem ducit de « absentia Peccati Originalis ».

Corde pura Deus novit.

Propterea, sublatis peccato et reliquiis peccati, exstat « cor purum ».

Sicut iam dictum est in TRACTATU DE RATIONE HOMINIS, Rota est « Sanctus Cyclus » vitae qui cum Sanctis Praeceptis modo continuo incipit atque desinit. Rota est modus vitae qui constat ex sanctis praeeptis quae iam cordi instillata sunt ... a Patre. Typus Eius indelebilis est et in quoque vestrum eheu absconditus est quoniam opertus peccatis vestris. Ista procedente tempore formaverunt laminas alias aliis impositas quae saeptum quoddam effecerunt inter vos ... et Typum Dei. Haec omnia...singulatim. Si omnia transferimus...in totam Humanitatem...ecce mundus. Et ecce... multitudo virorum mulierumque qui in ipso continentur. Ideo ecce...ea multa peccata...quae ab omnibus commissa... istas alias aliis innectentes laminas multiplicant... Rotam volvi inhibentes! Conamini rotam spectare birotae. Ipsa radiis multis composita est. Radius quisque...cum Rota Dei coniungitur et radius iste...nihil aliud est quam una partium inter se dissimilium vitae vestrae quotidianae in mundo. Si igitur...conamini corpus extraneum aut laminam dissimili materie compositam includere in radio rotae cuiuslibet birotae videbitis rotam aliquando consistere...nec amplius volvi et birota procedere non potest.

En causa cur homini necessaria est Confessio peccatorum, Sacramentum Reconciliationis cum Deo et Absolutio.

Opus est ad removendum laminas singulas rerum quae sunt in subliminio vestro, ut puritas cordis exaltetur coram Deo et vos reddat creaturam novam ab intus sanatam, quae ex illo tempore, nihil aliud facere potest quam amare ceteros et ab eis redamari.

« Cor » igitur repraesentat partem consciam et inconsciam hominis, et dictum est quia Confessio peccatorum opus est ad removendas laminas singulas iniquitatum quae sunt causa peccati.

* * *

Nunc loquar de altera re quae autem coniuncta est cum priori, et excitabit rumores inter Sacerdotes, quoniam aliquid addam quod attinet ad Confessionem. Usque hodie Magisterium Ecclesiae docuit quia per Confessionem peccatorum admissorum Absolutio peccatorum obtinetur. Hoc verum est. Et homo, postquam confessus est, se melius habet et in pace cum semetipso.

Locuta sum de parte conscia et de parte subliminari hominis, locuta sum de mirabili sensu lēvitatatis cum homo mundat se a peccato, et locuta sum de homine qui dolet propter vulnera accepta, ab iniustitiis, iniuriis, iniquitatibus, vexationibus, abusibus et multis aliis rebus. Haec igitur vulnera spiritualia afferunt dolorem homini, sed nullus medicus vel psychologus potest sanare ea, ipsi tantum possunt medicare ea, quoniam Iesus solus sanat et salvat.

Cum homo vel mulier furantur aut se gerunt iniquissime atque confitentur peccata, Absolutionem consequuntur et se melius habent.

Si iuvenis quidam puellam violat et confitetur peccatum, se melius habet, et cetera.

Hucusque omnia attinent ad Confessionem Sacramentalem et Sacerdos Absolutionem impertit. Oportet loqui de aequilibrio partium et desidero ut animadvertatis aliquid quod non consideratur: hoc modo, carnifex, ipse semper melius se habet cum « ego » suo, numquam autem victima.

QUID DE VICTIMA?

QUEM ADIRE OPORTET VICTIMAM UT MELIUS SE HABEAT?

A fortiori sensu, quoniam peccatum non fecit neque Absolutione eget. Haec autem victima, quicumque est, quando poterit melius se habere cum « ego » suo?

Cari Sacerdotes, nonne quid coepistis intellegere? Nonne mens vestra magis aperitur? Cor autem, quid vobis suggerit?

Humiliter vos moneo quod Sacerdotem oportet intellegere quia victima eget succursu spirituali tamquam et magis quam carnifex, cum ipsa sit victima insons, vulnerata in profundo suimetipsius, iuxta id quod res deposcit.

Sacerdotem igitur, adire debet carnifex qui peccatum commisit, quodcumque est, sed eum adire debet et victima, ad consequendam, narrans suam rem adversam, quaecumque est, sanationem interiorem vulnerum spiritualium quae inevitabiliter subsidunt, postquam prius transierunt per conscientiam propriam... in subliminio.

Ecce igitur, Sacerdos qui repraesentat Iesum Christum, per merita Iesu Sanguinisque Eius Pretiosi pro mundo effusi, per Benedictionem, lenit et curat vulnera animae eaque sanat, quoniam Ipse Iesus Christus per Sacerdotem operatur et sanat. Ergo, Ministerium Sacerdotale, permittit sanare animam carnificis et animam victimae. Alioquin non est aequilibrium nec iustitia.

Magis consentaneum est ut victima egeat sanari intus, magis quam et tamquam carnifex.

Iesus, per manus Consecratas Sacerdotis, adhuc Benedicit et sanat aegrotos et in corpore et in spiritu.

Iesus dixit quia agniti erant « Suos » etiam de sanationibus quas facturi erant in Nomine Eius.

ERGO, CARI SACERDOTES DEI, NOLITE FACERE RES DIMIDIATAS. POTESTAS VESTRA IMMENSA EST, COGNOSCITE HOC, QUONIAM ETIAM PER COGNITIONEM VESTRAM, REGNUM COELORUM OCIUS CONSTITUETUR IN TERRA,

Vos autem, cari fratres et sorores cum corde vulnerato, adite Sacerdotes, et supponite eis angustias vestras et vulnera vestra cordis, propter quae non valetis vivere in pace cum Deo neque cum mundo, atque petite sanationem interiorem in Nomine Iesu, et Gratiam sanationis secundum Fidem vestram consequemini.

Inclinatio interior hominem aperit ad vitam venturam. Homo novus sibi novus videbitur... solummodo cum incipiet cogitare novo modo qui denique est modus quo Iesus docuit in Vita Sua publica super Terram. **IESUS FUIT ET ADHUC EST REVOLUTIONARIUS.**

Iesus est Ille qui pharisaeos scandalizabat et adhuc scandalizat modo Suo cogitandi et agendi. Iesus est Ille qui, professus in Vera Identitate Sua, iudicatus deinde ductus est ad Mortem in Cruce.

ITA... IESUS ERAT ET ADHUC EST... MAGNA PETRA SCANDALI PHARISAEIS OMNIBUSQUE PECCATORIBUS, quoniam ostendit Verbis Suis exemploque Suo modum sanctum vivendi quem adhuc hodie homines non faciunt.

Iesus perturbabat et adhuc perturbat omnes normas quae iam annis veterum et falsitatem sapiunt.

Iesus adhuc ostendit sinceritatem et simplicitatem atque Actionum Suarum Verborumque Suorum perspicuitatem, omnes sordes interiores et iniquitates denudans. Omnis motus Iesu provocatio videbatur, et secundum eorum legem obsoletam Iesus erat blasphemator, et utique *fabri filius*.

TAMEN RESURREXIT A MORTUIS... RESURREXIT VERE... ET VIVUS EST ET VERUS EST!
Et ab illo tempore usque hodie, Opus Eius traditur de filio in filium, in illos qui amant Eum.
PLANE... CREDERE IN IESUM, CREDERE IN DEUM, EST GRATIA MAGNA.
Credere et habere Fidem in Deum sunt unum. Etenim nemo dicere potest se Fidem in Deum habere nisi facit, credendo, id quod Iesus dixit, fecit et docuit.
Et propter illum "credere" Deus providebit ut faciat mirabilia et mirabilia.

MARIA SANCTA MATER DIVINA... CREDIDIT.
SED ETIAM ABRAHAM... CREDIDIT.

Et ego credidi. Ecce, cum eo qui credit Deus operatur mirabilia in animo profundo hominis et in eo quo ipse circumdatur. Ecce igitur homo fit manus exsecutoria Operis quod Deus in Caritate creat.

DEUS EX CARITATE PROPONIT, HOMO AUTEM IN RESPONSIONEM ASSENSUS ET AMORIS DISPONIT. Ecce autem Deus gaudet de homine qui Sibi credit et Ipsum amat atque large donat omne bonum in illud Opus Caritatis. Omnes vos animadvertere potestis magna Opera a Deo volita pro Humanitate producta esse cum amore et sacrificio... a filiis et filiabus qui coram oculis mundi haud apti et parum eruditi videbantur, sicut et ego.

Alii ad imitationem Iesu et Mariae se offerunt et operantur solum propter caritatem puram erga Eos et fratres.

Mementote quia Iesus, Deus, per vias Orbis Terrarum ambulavit nobiscum et in medio nostrum, atque humiliavit Semetipsum in Carne Humana ad nostram naturam humanam in Se Glorificandam Peccato Originali perturbatam.

Adhuc multa habeo dicere sed oportet paulatim explanare, ostendendo logicam ordinis eventuum, ne perturbemini, quoniam multi ex vobis habent praeparationem spiritualem multis annis veterem, nonnumquam iacentem in doctrina Primae Communionis et Confirmationis.

Deus benedicat vos
et Divina Maria, Nostra Domina Guadalupiana vos protegat
in Nomine Patris
Matris
et Filii
et Spiritus Sancti.
Amen.

*Conchiglia
della Santissima Trinità*



ADNOTATIO

*Conchiglia della Santissima Trinità
Movimento d'Amore San Juan Diego*

*latine
latine*

*Concha Sanctissimae Trinitatis
Consociatio Caritatis Sanctus Ioannes Didacus*

4